

in aliis libris : vt M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem, ordine enumeravit notans, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset : pari modo Marcelli, Claudii, Marcellorum : Scipionis Cornelii, et Fabii Maximi, Fabiorum, et Aemiliorum quoque : quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. Attigit quoque poeticen : credimus, ne eius expers esset suauitatis. Namque versibus, qui honore, rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit : ita, vt sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit. Quod vix credendum fit, tantas res tam breuiter potuisse declarari. Est etiam liber Graece confectus, de consulatu Ciceronis. Haecenus Attico viuo edita haec a nobis sunt.

XIX. Nunc quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur : et, quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significauimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam. Namque hic contentus ordine equestri,